

**Dissertatio inauguralis medico-therapeutica de cortice angusturae ... /
[Friedrich Albrecht Anton Meyer].**

Contributors

Meyer, Friedrich Albrecht Anton, 1768-1795.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Jo. Chr. Dieterich, [1790]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m5npxw9u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

178
6874
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-THERAPEVTICA
D E
CORTICE
ANGVSTVRAE

Q V A M
CONSENTIENTE
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE
I N
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO SVMMIS
*IN MEDICINA ET CHIRVURGIA
HONORIBVS*
RITE OBTINENDIS
P V B L I C O

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
FRID. ALBERT. ANT. MEYER
HAMBVRGENSIS,
ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER, PHILOSOPHIAE
D O C T O R,

DIE XIII DECEMBRIS MDCCXC.

**
GOTTINGAE
APVD JO. CHR. DIETERICH.

81
CELSVS.

*Post inuentam medicinam quaesita est
ratio.*

VIRO PRAENOBILISSIMO
GEORGIO HENRICO
MEYER

MVNICIPII BREMERVOERDENSIS PRAEFECTO
SVPREMO

AVVNCVLO SVO ET TVTORI
PIE COLENDO

NEC NON

VIRO REVERENDISSIMO
IOANNI CASPARO
VELTHVSEN

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI
SERENISSIMI MEGAPOLITANO - SVERINENSIVM
DVCIS A CONSILII ECCLESIASTICIS SVPREMIS
THEOLOGIAE IN ACADEMIA PERANTIQA RO-
STOCHIENSI PROFESSORI PRIMARIO PVBLICO
ORDINARIO

PLVRIVM SOCIETATVM LITTERARIVM
MEMBRO HONORARIO

PATRVELI SVO PIE COLENDO

VIRIS
DE SE TAM EGREGIE MERITIS

OPVSCVLVM

HOCCE

ACADEMICVM

OMNIA CVM PIETATE

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CULTOR DEDITISSIMVS

A V C T O R.

PRAEFAMEN.

L. B.

S. P. D.

Sine ira et studio opusculum hocce accipiens, libellum, et non magnae laudis tamen et fortasse non magnae vituperationis dignum, inuenies. Spatio temporis tam breui ad eius elaborationem mihi concessio, nec noua experimenta instituire, nec factis nouas obseruationes addere potui. De medicamentorum virtutibus practicorum lites componere, nostri non est, obseruata autem colligere, quaedamque ex

sensu communi, non ex bibliothecarum
 thesauris addere, solummodo nostri
 fuit. Quid multa? En Opusculum
 ipsum, censendi et vituperandi causa
 illud ut perlegas, tibi si mens est, si
 autem mauis, auctori faueas. Dabam
 Gottingae, versus finem Decembris,
 MDCCXC.

LIBELLI
CONSPECTVS.

SECTIO PRIMA.

Corticis Angusturae Historia Litteraria.

§. 1 — 13.

SECTIO SECVNDA.

Corticis Angusturae Historia Naturalis.

§. 14 — 25.

SECTIO TERTIA.

Corticis Angusturae Analysis Chemica.

§. 26 — 40.

— —

SECTIO QUARTA.

Corticis Angusturae Vires Medicae.

§. 41---70.

SECTIO QUINTA.

Corticis Angusturae Doses Praeparataque
pharmaceutica. §. 71. vsque ad finem.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

CORTICIS ANGVSTVRAE

HISTORIA LITTERARIA.

§. 1.

Cortici his in paginis descripto nomina duo sunt; *Cortex Angustinus* nempe nec non *Cortex Angusturae* vocatur. Nomine ultimo in officinis pharmaceuticorum appellatur, igitur et ego hoc in scripto illo vtar.

§. 2.

Cortex Angustinus a) ex vrbe sancti Augustini in Florida, nostras in regiones perueniens vocatur. Hoc vocabulo autem rarissime vtimur.

A 5

§. 3.

a) Cel. GMELIN, praecept. reuerend., in Goetting. gel. Anz. 1790. St. 5. p. 53. LOESEKE Mat. med. Edit. VI. GMEL. p. 404.

§. 3.

Alterum ab oppido *Angustura* in infula Trinidad Hispanorum nomen accipuit. Ambabus in terris quam maxime ab incolis colligitur.

§. 4.

Primum de illo medici duo practici, in Infula Trinidad quam maxime celeberrimi, EWER *b)* scilicet et WILLIAMS *c)* observationes quasdam edidere practicas. Tunc praenobilissimus AVGVSTVS BRANDE pharmacopola regius, quasdam de illo observationes practicas Londini publicavit *d)*. Illi secutus est doctissimus A. E. BRANDE, cuius obseruata in Germania adhuc praecipue laudantur, bene etiam voluit medicamentum hocce ad Germanos transmittere *e)*.

§. 5.

b) London medical Journal 1789. P. II. p. 154.

c) Ibid. p. 158.

d) Ibid. Vol. I. 1790. P. XI. p. 38.

e) Hanov. Magaz. 1790. St. 15. p. 236.

§. 5.

Nec cel. GMELIN, praeceptor pie colendus, societati regiae Gottingensi die XII Decembris anni praeteriti, hunc corticem institutasque illoquum observationes proferre omisit *f*).

§. 6.

Dein doctissimus ac praenobilissimus G. C. SIEBOLD e publicatis collectionem fecit, noua autem non obseruauit *g*)

§. 7.

Clarissimi HEYER hoc de cortice merita quam maxime adnotanda sunt *h*). Plura nempe obseruata chemista ille et pharmaceuticus experientissimus tam noua quam docta publicauit. Nec non primo, Corticem Angusturae a Magnoliae quadam specie prouenire obseruauit.

§. 8.

f) Goetting. gel. Anz. l. c.

g) Würtzb. gel. Anz. 1790. Quart. II.

h) Braunschw. Magaz. 1790. St. 5. p. 74.

§. 8.

In notatione quadam *i*) ad celeberrimi A. E. BRANDE tractatum doctissimus KLOCKENBRING illam *Magnoliam glaucam* nominat, cuius historia naturalis igitur cum corticis historia quam maxime coniuncta est.

§. 9.

Celeberrimus CRELL *k*) omnibus his ex scriptis observationum selectum dedit; qui et in posterum in operibus suis chemicis periodicis huius corticis historiam continuare promisit.

§. 10.

Translator quidam observationum medicorum extraneorum iam citatorum, non solum illas maximo cum studio germanice nobis reddidit, sed etiam observata in Germania iam nota collegit, suisque cum observationibus publicavit *l*).

§. 11.

i) Hanöv. Magaz. l. c. p. 235.

k) chem. Annal. 1790. Vol. I P. III. p. 247.

l) Saml. für pract. Aertzte Vol. XIII. P. II. p. 321-336.

§. 11.

Goettingae obseruationes practicas, viri celeberrimi, praeceptoresque reuerendissimi, RICHTER et STROHMEYER illocum instituire. Quorum de obseruationibus autem, adhuc pauca seu pene nulla publicata sunt.

§. 12.

Nec doctissimi et amicissimi MATHAEI, in municipio Calenbergensi practici experientissimi vtriusque Medicinae Doctoris, hoc de cortice merita sicco pede praeter-eam. Varia illocum chemica experimenta debito cum studio industriaque iam satis cognita instituit; obseruata sua sequentibus in paginis passim citabo.

§. 13.

Haec sunt illa, quae de *corticis Angusturae* historia litteraria colligere potui, omnia. Experimenta medica illocum Brunsvigae medico experto quodam instituenda, medici adhuc, non sine moerore, desiderant.

SECTIO SECVNDA.

CORTICIS ANGVSTVRAE
HISTORIA NATVRALIS.

§. 14.

Antequam de cortice ipso loquor, *Magnoliae glaucae* historiam naturalem praemittere necesse videtur.

§. 15.

Genus *Magnoliae m)* autem ad Polyanthiam Polygyniam immortalis a Linné pertinet, sequentibusque characteribus praeditum est.

GENVS MAGNOLIA. *

Plum. 7. *Dill. Elth.* 168.

Perianthium triphyllum, foliolis ouatis, concavis, petaliformibus, deciduis.

Petala

m) Gen. plant. LINN. Holm. 1764. p. 276. n. 20. 690, syst. EIVSD. Veget. edit XIV. praecept. reuerend. illustr. MURRAY p 508.

Petala nouem, oblonga, concaua, obtusa, bafi anguftiora.

Filamenta numeroſa, breuia, acuminata, compreffa, receptaculo communi infra piſtillorum germine inferta. *Antherae* lineares margini filamentorum vtrinque adnatae.

Germina numeroſa, ouato-oblonga, receptaculum clauatum tegentia. *Styli* recurui, contorti, breuiſſimi. *Stigmata* longitudinalia ſtyli, villoſa.

Strobilus ouatus, tectus capſulis compreffis, ſubrotundis, vix imbricatis, confertis, acutis, vnilocularibus, biualuibus, ſeſſilibus, extrorſum dehiſcentibus perſiſtentibus.

Semina folitaria, ſubrotunda, baccata, filo pendentia ex ſinu ſingulae ſquamae ſtrobili.

CARACTER GENERICVS SECVNDVM SVSTEMA VEGETABILIVM.

Calyx triphyllus.

Petala IX.

Capſulae

Capsulae bivalves, imbricatae.

Semina baccata, pendula.

§. 16.

Sequentibus characteribus specificis autem *Magnolia glauca* distinguitur.

SPECIES. spec. *α*. MAGNOLIA
GLAVCA. *n*)

Magnolia foliis ovato-lanceolatis, subtus glaucis. Anon.

Magnolia lauri folio subtus albicante, Catesb. Carol. I. p. 39. t. 39. Dill. Elth. 20. t. 168. f. 205. Trew. Ehret. t. 9.

Tulipifera virginiana, laurinis foliis aversa parte rore coeruleo cinctis, conibaccifera. Pluk. Alm. 379. T. 68. F. 4.

Laurus tulipifera, baccis calyculatis. Rai. hist. 1690. 1798. n. 4.

Magnolia foliis ovato-oblongis, subtus glaucis. Linn. syst. veget. Edit. XIII. p. 427. Spec. plant. p. 755. *Folia subtus albida coerulefcentia*. Edit. XIV. p. 508.

Magno-

n) LINN. spec. plantar. Holm. 1753. T. I. p. 635.

Magnolia foliis ouato lanceolatis. Hort. Cliff. p. 222. Gronov. Virg. 61. Kalm. *Reis.* T. II. p. 221.

Magnolia glauca. Schoepf. mat. med. Am. p. 81. Panzer. Houttuyn. Edit. Germ. T. II. p. 77. Suckow. *Anleit. z. Bot.* T. II. p. 250. Du Roi. *Harbk. wild. Baumz.* T. I. p. 399. v. Wangenheim. *Beschreib. nordam. Holz. u. Buschart.* p. 113. v. Wangenheim. *Beytr. z. teutsch. holzger. Forstw.* p. 60. T. XIX. f. 46.

§. 17.

Icones *Magnoliae glaucae* in libris iam citatis virorum celeberrimorum, CATESBY, DILLENII, EHRET, PLUCKENET et DE WANGENHEIM inuenies.

§. 18.

Nomina *Magnoliae glaucae* prouincialia autem et triuialia sequentia sunt.

a) Apud Americanos:

1) Small sweet scented Magnolia.

2) Swamp Magnolia.

B

3)

- 3) Swamp Sassafras.
 - 4) Beaver Tree.
 - 5) White Laurell.
 - 6) Sweet Flowering Bay.
- b) Apud Germanos.
- 1) Eifengraue Magnolia.
 - 2) Bieberbaum.
 - 3) Schwammfassafras.

§. 19.

Amat arbor loca paludosa et vmbrosa, praecipue igitur aliis intermixta crescit o). Terram humidam et pinguem ficciori praefert. Floret in prouincia *Newyork*, sub 41° longitudinis borealis, medio saepeque versus finem mensis Iunii. Flores Tulipae aequant odoremque fragrantem spirant, saepeque igitur capitis dolores excitant, ita vt cuiuslibet plantae odor in illis concentrari videtur p). Odor floris foliorumque, vtilitasque corticis, arborem ipsam ea magis Germanorum hortis

o) v. WANGENHEIM *Beytr. z. holtzg. Forstwiss.* p. 60.

p) EJUSD. *Beschr. Nordam. Holtz.* p. 114.

tis commendant, quo planta in terra pingui facile prouenit. Sed tamen ne modo inutili vi et armis terram aridiorē ad arboris culturam cogas cauendum est, nam studio et pecunia amissis, necessitate coactus, breui post temporis spatio huius laboris inutilitatem intelligeres.

§. 20.

Magnoliae genus generi *Liriodendronis* valde affinis videtur, Et comparatione ipsorum generum in systematibus, et exploratione virium, vsus, nominumque, affinitatem hanc cognosces. Huius loci non est lectori affinitatem hanc ipsam, multis verbis demonstrare, illam citasse sapienti sat.

§. 21.

Cortex *Magnoliae glaucae*, teste de Wangenheim, glaber, albicans in arboribus aetatis certioris, in iunioribus autem viridis. Lignum album, spongiosum,

vili pretio. Amat corticem Castor Fiber L., illocum haud raro ab Americanis captatur, qua de re arbor etiam, Anglico idiomate, Beauer Tree seu arbor castorum appellatur. Plerumque ad altitudinem XV — XVI pedum truncus peruenit, sed peripheria multo minore gaudet. Est illi coma foliis abundans. Cortex autem, teste Houttuyn, magis e fusco albicans, quam albus inuenitur.

§. 22.

Cortex *Magnoliae glaucae* nobis ex Anglia nomine *corticis Augusturae* adportatus, teste praenobilissimo HEYER Costo dulci aequat, nisi fortasse colorem obscuriorem excipias. Frustulae pene eiusdem, sed tamen fracturae splendentis et quasi resinosae, numquam autem fibrosae. In parte exteriori inaequalis, ex fusco-ochroleucus et albicans videtur, in parte interiori autem brunneus est.

§. 23.

Sapore gaudet amaro, sed tamen Quassiae debiliore, pene sapore Aloës, corticis Cinnamomi, seu aliae eiusdem aromatis speciei simili. Primo blande, dein male, peneque nauseose sapit, acritate quasi, ut ex amygdalis amaris, praeditus est. Odor debilis, aromaticus quasi, semper nauseosus, specificus. *Corticis Angusturae* crassities pene quartae pollicis parti aequat et, ut mihi videtur, Costi dulcis crassitiem non attingit. Post decorticationem a trunco, sese constringit.

§. 24.

Pulvis corticis tritu non facile, medicamento duritiei et asperitatis causa, paratur. Caueat igitur pharmacopola, linteo super mortarium tecto, ne minimas corticis partes motu pistilli euadant.

§. 25.

Pulvis ipse, breui in temporis spatio post puluerisationem, flauus, dein ochroleucus.

leucus. Odorem maiore aromate quam massa spirat, sed tamen sapore tam nauseoso massae vel caret, vel ille, si mavis, in puluere finissimo non tam facile distinguitur.

SECTIO TERTIA.

CORTICIS ANGVSTVRAE ANALYSIS CHEMICA.

§. 26.

Analysıs medicamenti, de quo agimus, perfecta, his in paginis expectari non debet. Nec otium nec occasio multa mihi experimenta permisere. Generaliora solummodo et praecipua *corticis Angusturae* principia enumerata leges.

§. 27.

Ea de causa experimenta varia doctorum virorum enumerabo, illisque mea obser-

obseruata addam, et sic fortasse non sine iniuria, de *corticis Angusturae* partibus constitutivis, quaedam vera et certa proferre possum. Si scripta non mea sint omnia, tamen fortasse meis augebuntur.

§. 28.

Primo igitur praenobilissimi HEYER observationes chemico - analyticas breuibus verbis exponam.

1) Tinctura, ex vncia vna corticis Angusturae cum vndecim vnciis alcoholis vini, tribus infusionibus sequentibus, parata, post destillationem vnciam dimidiam extracti amari, non resinosi sed pene puluerulentis praebuit, quod terectione cum alcalino quodam; pene totum in aqua dissolutum est. Residuum in sufficienti quantitate aquae coctum, filtratum et euaporatum, grana LXX extracti siccioris, clarioris, resinoso minus amari, et in ceteris sapore extracti corticis Peruviani praebuit.

2) In vncia dimidia, infusione repetita, vnciarum VII aquae fontanae frigidae destillatae, modica post XXIV horas euaporatione, grana XL extracti depurati clarioris seu *salis* sic dicti *essentialis*, sale corticis Peruuiani amarius, inuenta sunt.

3) Ex vnciis quatuor secunda aquosa coctione et euaporatione ad consistentiam extracti, vncia vna et tres vnius vnciae partes extracti, extracto resinoso primae extractionis blandioris, tamenque aquoso amarioris prolata sunt.

4) Decoctum corticis aquosum cum sale alcalino non efferuescit; decoctum frigidum colore non rubro sed potius viridi gaudet, quod ego tamen non observavi, nam decoctum spirituosum mea industria paratum, fuscum, decoctum aquosum autem solummodo fusci clarioris inueni.

§. 29.

Sequentia praenobilissimus AVGVSTVS BRANDE q) observavit. „Partes corticem *Angusturae*

q) Saml. f. pract. Aerzt. I. c. p. 327.

gusturæ constituentes, præcipue calentis et aromaticæ indolis sunt, facile aqua feruente vel frigida dissoluendæ; porro resina acris et oleum essentiale. Dimidium corticis pene extrahi potest. Extractum aquosum amarum quoddam et gratum remedium præbet. Residuo post extracti extractionem alcohole vini sensim idigesto, tincturam obscuriorem accipimus, post euaporationem eius autem resinam acrem, nauseosam, colore obscuriore relinquentem. Tinctura ex vncia vna corticis *Angusturæ* et vnciiis sedecim spiritus vini parata, plures remedii vires continet. Pulvis corticis, similis pulueri rhei, flauæ coloris est.,

§. 30.

Doctissimus E. A. BRANDE sequentia publicauit 1). „Corticis huius acritatem partes resinosæ, amaritatem autem gummosæ continent. In decocto seu infuso

B 5

aquoso

1) Hanov. Magaz. 1. c.

aquoso, amaritas quidem sed acritas non adest. „

§. 31.

Nec praenobilissimi WILLIAMS observata omittere possum, qui ita hoc de cortice loquitur. „Corticem a Hispanis ex America australi accipimus, stramentis involutum, longitudine pedis unius usque ad duos, latitudine autem pollicis unius usque ad unum et dimidium. Color illi est ochroleucus, odor rudis nauseosus, sapor ingratus amarus, sine ullo calore aromatico. Odor tamen exsiccatione solis seu ignis diminuitur. Tunc odorem aromaticum accipiens, sapor minus nauseosus redditur. Tam aquosis quam spirituosius menstruis, hoc ex cortice partes constituentes extrahuntur, quorum ope menstrua ipsa auri coloris accipiunt. Plantatores praecipue infuso spirituofo contra febres et varios feruorum dolores vtuntur. Corticis matrem adhuc non cognoscimus, sed tamen plures de illo notiones expectamus,

ctamus, cum de floribus eius ad Hispanos scriptum est.,

§. 32.

Amicissimus MATHAEI via consueta magnam resinae copiam adeptus est, de vi adstringente remedii valde dubitat, de antiseptica autem experimentis conuictus est.

§. 33.

Vnam corticis puluerisati partem partibus sedecim aquae destillatae infudi, mixtionemque per XXIV horas in hippocaufti fornace modice digerere feci. Primo in digestionis initio mixtura effervescit, quod praecipue post secussiones observaui, colorem ochroleucum adsumens, bullasque aëreas emittens, odorem aromaticum spiravit. De phaenomenis post digestionem prope infra loquar.

§. 34.

Corticis Angusturae infusum spirituosum saturationem illius maiorem si excipias,
infuso

infuso aquoso alia phaenomena nulla praebuit.

§. 35.

Vnam corticis *Angusturae* partem, partibus sedecim aquae destillatae infudi, illasque ad remanentiam partium octo coquere feci. Huius decocti color fusco clariore decocto corticis Peruuiani valde similis fuit. Odore aromatico, sapore aromatico et amaro, pene vt infusum vinosum Absynthii gaudebat, sed tamen magis saporis aloëtico affinis. Residuum coloris ochroleuci, consistentiae quasi extracti erat.

§. 36.

Decocti spirituosum autem, eadem in proportionem praeparati, color fuit ochroleucus, decocto aquoso clarior. Caetera phaenomena odorem fragrantiores si excipias, phaenomenis in decocto aquoso obseruatis quam maxime aequant. Residuum non tantum saturatum quam in praeparatione prioris inueni.

§. 37.

§. 37.

Paucis post hebdomadibus in infuso aquoso mucres inueni, non autem in infuso spirituofo nec in decoctis. Vtriusque praeparationis decoctum et infusum tunc colore fusci obscurioris quam antea gaudebat.

§. 38.

Gallarum infusum in infuso aquoso nubeculas quasdam nigrescentes praecipitauit, sanguinis lixiuum autem et Heliotropii tinctura nulla phaenomena notatu digna ostentauere.

§. 39.

In carbonibus, vt experimentis conuincor, pauxillum alcalini principii adest. Huic praenobilissimi HEYER s) experimenta correspondunt, in cineribus residui, post extractionem partium resinosae indolis, et terram quandam calcariam acido tartari inuolutam, et principium quoddam alcalinum inueniens.

§. 40.

s) Braunsch. Magaz. p. 77.

§. 40.

His ex obseruatis, sequentia corollaria maximam verosimilitatem accipiunt.

1) Hoc in cortice partes gummosae non tam magna in copia adsunt quam resinosae, sed tamen aqua his cum partibus imbuta ad vsum medicum sufficit.

2) Partes gummosae principium amarum continent.

3) Partes praeualentes autem resinosae principium acre, calens, roborans.

4) Illo in casu igitur vbi praeparatis pharmaceuticis spirituosis abstineri debet, praeparata pharmaceutica aquosa summo cum iure, summaque cum vtilitate adhiberi possunt. Sequenti in tempore, vsum partium amararum et acrium melius quam nunc cognoscens, medicus ex doctissimi E. A. BRANDE obseruatis de differenti harum partium extractione, vtilitatem maximam accipiet. Huius experimenti de veritate, ipse experientia conuincor.

- 5) Oleum adest quoddam effeutiale.
- 6) Principium alcalinum fortasse in terra calcaria latet.
- 7) Principium adstringens minima in copia adest, vires roborantes tamen in principio aromatico et amaro latent.
- 8) Principium aromaticum, sapore odoreque hoc in cortice cognoscimus, tamen non magna in copia adest.
- 9) Principium antisepticum adest cuius de praesentia plura sequenti in sectione inuenies.
- 10) Principium acre praecipue in praeparatis spirituosus inuenitur.

SECTIO QUARTA.

CORTICIS ANGVSTVRAE

VIRES MEDICAE.

§. 41.

Ad difficillimum huius opusculi caput perueniens, sit fas mihi mente libera, tam dubia contra doctorum virorum argumenta, quam sententias quasdam de medicaminis virtutibus proferre.

§. 42.

Primo igitur, vires laudatas breuibus verbis enumerans, dein de iusto remedii usu verba quaedam proferens, hac in sectione de *corticis Angusturae* viribus tractabo.

§. 43.

Vires autem huius corticis vel specificae vel partibus eius accomodatae sunt, antequam igitur de specificis tractabo primo de aliis quaedam proferenda sunt.

§. 44.

§. 44.

Post corticis sumptionem *t*) odorem pungentem in ore sensimus. Tunc, ut ipso ex observato doceor, spasmus brevis in regione pectoris sequitur, illi a magno frigore valde affinis. Pulsus excitatur, calor cutis externus, aliusque modice contracta observantur. Haec phaenomena, tam facile ex analysi chemica explicanda, amplius non explicabo. Omnia autem de vi adstringenti et acri dependent.

§. 45.

Et vis antiseptica huic cortici propria adest, ut experimentis praenobilissimi HEYER amicissimique MATHAEI conuincor. Sequentia phaenomena autem primus publicavit *u*). „Ad vim antisepticam si spectas, cortex noster pauxillum cortici Peruviano anteponendus est, nam in illo pulmo

t) EWER *saml. f. pract. Aertzt.* l. c. p. 322.

u) *Brannsch. Magaz.* p. 78.

pulmo vitulinus difsecatus aliquot per horas decocto corticis Peruuiani melior remanet, et sex per dies pulmone in aqua posito longior, vbi tres per dies solummodo a putredine exemptus restitit. Decocta similia radicum Arnicae, corticis quercini et Chinchonae Caribaeae x) die quinto pituitam, die sexto autem putredinem accipere. In decocto simili corticis Peruviani rubri florumque Chamomillae, die sexto pituitam die septimo autem putredinem obseruauit. His experimentis, mense Decembris institutis, tempestate frigoris humidioris, putredini non fauente, adhuc optime de vi antiseptica iudicare non possumus, et tempore aestiuo plurima huius generis experimenta instituenda sunt.,

§. 46.

Hoc ex experimento tamen corticis Angusturae vis antiseptica et fortasse tam graui modo dilucidata est, vt cum illo

x) Doct. FISCHER. praecept. pie colend., in doct. BLUMENBACH praecept. pie col. Med. Bibl. T. II. p. 159.

illo sine dubio in morbis putridae indolis experimenta instituenda sint. Ita in febre putrida sanguinea, in gangraena, in sphacelo etc., summa cum vtilitate, cortice Peruuiano deficiente, adhiberi potest, et, vt credo, semper salicis cortici aliisque huius generis remediis anteponi debet.

§. 47.

Censorum causa necesse videtur nunc ipsam de antisepticiis sententiam addere, quae non ab adstringentibus diuersa credo. Remedium adstringens autem illud mihi esse videtur, quod fibras animales constringendo agit, partesque singulas corporis continens et roborans, putredini praeuenit. Solummodo autem de partibus solidis loquor, non de fluidis, quorum fabrica, quamquam statu in sano satis adhuc nota, tamen in morbofo quam maxime dubia est. Explicari nequit sanguinis putredo in febre putrida sanguinea, seu dissolutio sanguinis morbofa, cum extra corpus humanum semper ante putredinem

consolidetur numquam autem dissoluatur. Vim virium vitalium non ignoro *y*); sed tamen illis adiutoribus phaenomena haecce explicari non conabor. Vis igitur corticis Angusturae antiseptica in fluidis non nisi ex analogia cum cortice Peruviano explicari potest.

§. 48.

Est autem, nisi principia chemica neges *z*), putredo nil aliud quam figurae totius cuiusdam corporis decompositio, cum aëris phlogistici et mephitici solutione. Variat autem secundum varias corporis cuiusdam indoles, ea de causa etiam chemici extiterunt, qui quibusdam corporibus a putredine exemptionem tribuunt *a*), quod ego autem nego, cum et petroleum et alia bitumina naturam quodam in statu quam maxime

y) Cel. BLUMENBACH, praecept. rener., Institut. Physiol. p. 31.

z) Cel. GMELIN, praecept. pie col., *Grundriß der Chemie* P. I. Goettingae 1789. p. 127.

a) GREN *Handbuch der Chemie* T. II. P. I. p. 1862.

maxime mutant *b)*, quae mutatio verosimile his in corporibus sine dubio verae putredinis locum tenet.

§. 49.

Non contraria sunt meae de vna eademque vi tam adstringente quam antiseptica, doctorum obseruata virorum tam in corpore sano *c)* quam in morbofo. Plura de primo statu in doctissimi et amicissimi S. J. VAN GEUNS quaestionibus academicis medici argumenti, Harderuic. 1790. collecta inuenies. De statu secundo autem doctissimus et amicissimus C. P. SCHACHT, plura obseruata collegit in dissertatione, de modo quo agant remedia adstringentia et praecipue martialia in corpus animale. Harderuici. 1789. 4. p. 20 sqq.,

C 3

§. 50.

b) Amiciff. et dilectiff. H. F. LINCK *Anl. z. Geol. Kentn. d. Min.* p. 216.

c) HALLER *Grundriss der Physiologie*, secundum Praeceptoris reuerend. cel. WRISBERGII edit, germanic. transl. Virorum doctiff. MECKEL et SOEMMERING p. 301.

§. 50.

Pluribus verbis his de viribus hoc in loco agere, nec otium nec locus ipse permifere. Sufficit ideas citaffe, quarum de veritate plura nunc proferre non poffum.

§. 51.

Alia vis, cortici attributa, roborans est, de qua nunc pauca proferenda funt. Hoc in casu quam maxime profuit. Celeberrimus STROHMEYER, praeceptor reverendiffimus, in instituto clinico privato illum fumma cum vtilitate adhibuit. Aliis de exemplis, mihi bene notis, vbi praecipue hominibus neruofae indolis profuit, viresque corporis excitauit, taceam. Multa exempla hac de vi allegare tam maxime inneceffarium mihi videtur, quam *cortex* ipse *Angusturae* sine dubio vires roborantes corticis Peruuiani habet, cuius de viribus plura fcripta exftant *d*).

§. 52.

d) Vid. praecip. WILL. CULLEN Mater medic. Vol. I. 1790, transl. Hahnemann. p. 136.

§. 52.

Ea de causa etiam in febribus nervosae indolis *corticis Angusturae* usus quam maxime profuit. Doctissimus E. A. BRANDE illum hoc in casu, omni quadrihorio dosi granorum XV summa cum utilitate praescribit. Alium casum mihi notavi ubi spasmos hystericos, post fordium euacuationem, breui in temporis spatio sanauit. Praenobilissimus A. BRANDE usus est illo loco remedii tonici et stomachalis e).

§. 53.

In Dyspepsia magna cum utilitate a celeberrimo E. A. BRANDE f) etiam adhibitus est. Illum seu solum seu conjunctione absorbentium ut verbi causa Magnesia, lapidum Cancrini, et interdum etiam cum Rheo praescribit. Plurimos apud aegros numquam sensus ingratos, sed plerumque grati calidi in stomacho

C 4

excita-

e) Saml. f. pract. Aertzt. l. c. p. 334.

f) Hanov. Magaz. p. 239.

excitavit. Dosis XX granorum in femina emesin procreavit.

§. 54.

Ad vires específicas perueniens primo de vi febrifuga agam. Hanc doctissimus EWER laudavit g) cui dimidium *corticis Angusturae* tantae utilitatis fuit, quam cortex Peruvianus tota in Dosi h). Illius observata censor quidam Teutonicus i) confirmat ipsis observationibus. WILLIAMS k), AUGUSTVS BRANDE l) et E. A. BRANDE m) magnis cum encomiis vim hanc citauere. WILLIAMS ipse a febre intermittente e febre biliosa nata, se *cortice Angusturae* sanavit. AUGUSTVS BRANDE ipse adhuc nulla cum illo in febribus intermittentibus experimenta instituit, sed tamen

g) London medical Journal l. c.

h) Saml. f. pract. Aertzt. l. c. p. 322.

i) Jenaer allgem. litt. Zeit. 1789. Nro. 239.

k) Saml. f. pract. Aertzt. p. 326.

l) Ibid. p. 329.

m) Hanov. Magaz. p. 238.

tamen amicorum obseruatis hac de vi con-
 victus est. Dosibus VI granorum XV
 febris tertiana intermittens, dosibus II au-
 tem alia febris tertiana iam per tres heb-
 domades continuata sanata est, quamquam
 aeger solummodo grana XXX corticis
 sumferat. Quamquam doctissimus E. A.
 BRANDE adhuc de vi febrifuga corticis
 Angusturae dubitat, tamen similia phae-
 nomena obseruauit. Sed certissime vno de
 casu omnes diiudicare, nunquam medici
 rationalis solummodo autem empirici est.
 Medicus casum non distinguens pro Iu-
 none nubem petit, aegros inuita doctrina,
 solummodo casu fortuito sanat. Differunt
 pro natura corporis genera morborum,
 et aliud opus est statu in eudemico ga-
 strico, aliud in inflammatorio, aliud in pu-
 trido, aliud in neruoso.

§. 55.

Goettingae *cortex Angusturae* pene nulla
 aut tamen minima vtilitate fuit quam cor-
 tex Peruuianus. Igitur nostris in regio-

nibus illi adhuc substitui non potest, quod tamen potius de statu endemico gastrico quam de corticis inertia prouenit.

§. 56.

Magnum huius corticis commodum adhuc, EWER, WILLIAMS et A. BRANDE obseruauere. Nunquam nempe stomachum debilitauit nec aluum constrinxit.

§. 57.

Vsum externum in febre putrida sanguinea doctissimus EWER quam maxime laudat. Fomentationibus scilicet decocti aquosi *corticis Angusturae* aegrum certissime sanauerit, nisi praemature fomentationibus abstinuisset.

§. 58.

In Morbis quibusdam periodicis, in odontalgia verbi causa et doloribus faciei, praenobilissimus A. BRANDE magna cum vtilitate corticem adhibuit. Doctissimus E. A. BRANDE autem Adynamias, dolo-

res

res capitis et Odontalgias typum periodicum adfumentes, etiam illocum sanauit.

§. 59.

Affertum legimus in scripto doctissimi E. A. BRANDE, *cortice Angusturae* alius non alio modo constringi quam post exitum cuiuslibet diarrhoeae. Est autem nullo modo haec obseruatio illi opposita quam antea, secundum ipsa experimenta citauit. Nam necessario in modo vires *corticis Angusturae* in corpore sano a viribus in morboſo discrepant, his recte examinatis quaelibet contradictio in totum abest.

§. 60.

In profluuiis aluinis verbi causa in diarrhoeis et dysenteriis *cortex Angusturae* quam maxime profuit. Adhibuere illum hoc in casu et A. BRANDE et E. A. BRANDE. Primus in coniunctione cum Laudano liquido, seu mixtura salina casu vario illo vsus est. Exempla etiam narrat vbi doctissimus WILLAN magna cum vtilitate illum adhibuit. Alter etiam fordibus remotis

tis infusum *corticis Angusturae* sine additamentis, magna cum prosperitate aegris praescribit, saepeque dosis prima secundaque illos sanavit. Semper autem die altero seu tertio, remedium purgans dedit, singulisque in casibus remedium hocce reiteravit. Hac in via nullum de corticis Angusturae usu malum accipuit. Semper methodum eius methodo A. BRANDE praeferam, qui nimis incaute, infusum spirituosum in dysenteria praescribit, ubi, ni fallor, semper praeparata aquosa praeferenda sunt.

§. 61.

Profluvia autem ubi *cortex Angusturae* profuit semper gastricae seu gastrico-putridae indolis fuere. Et in illis nullo alio in casu adhiberi debet, quam fordibus bene remotis, ubi roborantium et adstringentium auxilia ad fluxuum retentionem indicantur *n*). Sed tamen hoc in casu Rhabarberinis

n) Illustr. a ZIMMERMANN von der Rubr cap. 7. Illustr. D. M. VAN GEUNS von der epidemischen Rubr 1783. Translat. germ. p. 77.

rinis remediis nunquam anteponi, sed semper illis sequi debet.

§. 62.

In phtiseos stadio colliquativo, teste doctissimo E. A. BRANDE nil profuit, sed tamen solummodo hac de re observata collegit.

§. 63.

In statu inflammatorio non solum modo frustraneo sed etiam damnofo dari deberet, quod ad partes aromaticas, calidioresque, corticis essentiam constituenres si spectas, facile cognosces.

§. 64.

Contra scrophulas et in scorbutum summa cum prosperitate praenobilissimum A. BRANDE illo usus est o). Praecipue illo in statu scrophuloso adhiberi debet, vbi teste praecceptore reuerendissimo, celeberrimo RICHTER p) cortex quercinus et Peruvianus profuere,

o) *Saml. f. pract. Aertzt.* p. 334.

p) *Anfangsgründe d. Wundartzneyk.* Vol. III. Goett. 1790. p. 69.

fuere, et debilitas summa cum relaxatione adest.

§. 65.

Externe sine dubio omnibus in casibus applicari debet vbi corticis Peruuiani applicatio conuenit *q*). In sphacelo igitur, in gangraena, vlceribus malignis, fomentationis forma in pedes post ascitem scarifatos, et aliis eiusdem argumenti in morbis, vbi vis antiseptica illius necessaria videtur.

§. 66.

Summo cum iure *cortex Angusturae* semper scopo roborandi praescribi debet et igitur cortici Peruuiano in elixiriis stomachilibus, verbi causa in roborante Whyttii substituendus videtur. Si omnes corticis Peruuiani vires in illo non adsunt, tam magis huic omnium pene remedium regi parcere necesse videtur, et
ea

q) Illustr. MURRAY, praec. rev., Appar. Medicam.
T. G. P. I. p. 895.

ea de causa non inutile dari debet, vbi
efficax remedium substitui potest.

§. 67.

Corollaria quaedam de aliis remedii
vſibus haec sunt.

1) In febribus putridis sanguineis et
in neruosis non inutile videtur.

2) Vſus contra febres intermittentes et
in ſtadio phtifeos colliquatiuo, adhuc pluri-
bus exemplis probari debet, antequam re-
medium ipſum laudare poſſumus. In ſta-
dio phtifeos colliquatiuo proſ dolor, multa
experimenta ante mortem fieri non poſſunt.

3) In profluuiis aluinis remedii vtilitas
non abneganda eſt.

4) In Dyspeſſia et in omnibus ſtoma-
chi a debilitate malis, praecipue conuenire
videtur, et hoc in caſu fortasſe corticis
Peruuiani vires ſuperat.

5) In ſcrophulis et in ſcorbute fortasſe
in poſterum magna cum vtilitate adhiberi
potest.

6) De vi remedii externa plura experimenta adhuc facienda sunt.

§. 68.

Medicus, viribus laudatis *corticis Angusturae*, contentus, remedium hocce, sine dubio, an tantae laudatae vires in febribus intermittentibus illi etiam caruere, semper honoris et laudis dignum aestimabit. Materia medica in illo nouum remedium, tam magis laudandum acquisiuit, quin et nostris in regionibus bene prouenerit, nisi mater eius illic in aëre et climate debilior fit, quam in patria.

§. 69.

Antequam corticis *Angusturae* vires in Europa laudatae erant, iam longum per tempus Americae incolae *Magnolia glauca* vñ sunt r). Corticis decocto diarrhoeam, tussin, phtisin, febres, haemorrhoides, aestum febrilem, doloresque internos sanauere. Decocto ramorum iuniorum

r) SCHÖEPF. Mat. med. Am. p. 91.

niorum contra catharrhum et coryzam vfi sunt. Semina in tuffi et aliis pectoris morbis vtilia fuere. Carbonum autem vnguentum cum axungia porcina praeparatum vlcera fanauit.

§. 70.

Curam febrilem Americanorum quam maxime notatu dignam inuenies, optime illam celeberrimus KALM s) describit, cuius in libro varia de Magnoliae glaucae vfu relegi poffunt.

SECTIO QUINTA.

CORTICIS ANGVSTVRAE
DOSES, PRAEPARATAQVE PHARMA-
CEVTICA.

§. 71.

Ad vltimam huius opusculi fectionem perueniens, breuibus verbis, obferuata
virozum

s) *Reifen nach America.* Goetting. 1757. T. II. p. 508.

virorum doctorum de dosibus corticis Angusturae illiusque praeparatis pharmaceuticis narrabo.

§. 72.

Praenobilissimus A. BRANDE *t*) sequentem formam remedium praescribendi praecipue commendat.

R_g. Pulv. cort. Angust. $\text{z} \text{ij} - \text{z} \beta$.
 Infund. Aqu. ferv. $\text{z} \text{xvj}$.
 Ebulliant paulisper,
 Colatur. add.
 Tinct. Lauand. compos. $\text{z} \text{j}$.
 Syrup. cort. Aurant. $\text{z} \beta$.
 M. F. Pot. fumant. pro dosi Cochlearia $\text{ij} - \text{ijj}$ maiora.

§. 73.

Dosis remedii in caeterum semper variat, et solummodo a singulo practico, singulis in casibus bene determinanda est, sequentia de illa autem inuenimus.

§. 74.

t) Abhandl. f. pract. Aertzt. I. c. p. 382.

§. 74.

Viri doctissimi EWER et WILLIAMS, cenforque illorum Teutonicus iam laudatus, dimidium dosis consuetae corticis Peruuiani in febribus intermittentibus praescribere, cum autem hoc in loco plura de corticis Peruuiani vsu proferre non possum, solummodo vt moneam necesse videtur, doses corticis Angusturae cum periculo breuioris seu longioris Apyrexiae pari passu agere debere, semper et huius in corticis vsu praecautiones in vsu corticis Peruuiani necessariae obseruari debent.

§. 75.

Praenobilissimi A. et E. A. BRANDE dosin pulueris a X — XX grana constituere. Doses maiores non tam utiles quam minores et non efficaciores inuentae sunt. Dosis modica stomacho conuenit, gratumque calorem effecit. Homi- nibus in duobus, constitutionis debilioris, grana XX nauseam procreauere.

Praeparata pharmaceutica praecipua haec sunt.

1) *Decoctum* e drachma vna pulueris grossiusculi cum quatuor aquae vnciis paratum.

2) *Infusum* eodem in modo paratum. Vtriusque praeparati dosis, secundum doctissimum E. A. BRANDE vncia vna quotidie ter quaterque, seu magis repetita, fuit.

3) *Tinctura* ex vncia vna corticis *Angusturae* cum vnciis sedecim spiritus vini praeparata. Dedit illam doctissimus E. A. BRANDE vsque ad drachmam pro dosi.

4) *Extractum aquosum*, cuius dosis a quatuor vsque ad octo grana variat.

5) <i>Extractum resinofum.</i>	} His praeparatis adhuc non vtimur, igitur dosis illorum determinari nequit.
6) <i>Sal essentiale.</i>	
7) <i>Oleum essentiale.</i>	

§. 77.

Methodum haec praeparata conficiendi proferre inutile videtur, de illa vel iam in sectionibus prioribus actum est, vel praeparatio cum productis e cortice Peruviano iam satis adhuc notis conuenit.

§. 78.

Omnibus igitur relatis, voto Quinctiliani commentationem cludam, „si quod desit operi id aetas suppleat, et si quae sunt dicta iuueniliter pro indole accipiantur.,,

T b e s e s.

I.

Melius est educationem puerorum moralem negligere quam physicam.

II.

Nullae petechiae sine colliquatione.

III.

Anthelmintica mere specifica non cognoscimus.

IV.

Certa scirrhi cancrique symptomata adsunt.

V.

Morborum laruatorum venereae indolis existentia negari nequit.

VI.

— —
VI.

Infibulatio contra masturbationem inutilis.

VII.

In quolibet casu medicinae legalis, medici obducentis est, non solum iudicium suspendere, sed etiam viso reperto inquisiti culpam quam maxime diminuere.

VIII.

Infanticidii causae, magis in legum vitiis, quam matris animo corrupto latent.

IX.

Extirpatio totius morbi variolosi frustranea et non necessaria.

X.

Nostro aevo infantum debilitas et corporis et animi, potius ex male intellectis educationis regulis, quam ex vitiis ipsius seculi ortum cepit.

XI.

— —
XI.

*Catharrhi transitus in phtisin pituitosam quam
maxime dubius.*

XII.

*Vis magnetismi sic dicti animalis, quibus-
dam in morbis neruosis, praecipue in
statu ut dicunt frigido, negari nequit.*

XIII.

*Putredinis theoriae adhuc notae, ad veram
febris putridae sanguineae explicationem
non sufficiunt.*

XIV.

*Omne amarum roborando agit, omne robo-
rans adstringendo.*

—